



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Disputatio III. De Natura, Numero, & Motu Cœlorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

tionem istorum in temporum præcedentium; ergo, &c.

XLII. Objicies tamen ex Averroë, à voluntate Dei antiqua non potest procedere actio nova, quæ non est; quia non est, cur uno potius tempore, quam alio procederet, ergo neque à Deo, qui fuit ab æterno, potest procedere productio mundi in tempore tantum.

XLIII. Respondeo 1^o Retorqueri argumentum in voluntatem, quæ Deus adhuc singulis horis homines vult generare, & sic de cæteris, quæ sicuti de novo in dies fiunt, ita de novo potuit aliquando mundus fieri.

XLIV. Respondeo 2^o. mundum non esse à voluntate Dei, quæ antiqua & in æternitate prout præcedenti, sed à voluntate Dei quæ æquivalenter nova, & in æternitate Dei prout præsentis, de quo ex professo Theologi.

D V B I V M I V.

An mundus sit in æternum duraturus.

R E S O L U T I O I.

XLV. Dico 1^o. Mundus, saltem quoad corpora cælestia, animas rationales & mate-

riam primam, est in æternum duraturus.

XLVI. Probatur, quia illa per creationem conaturaliter producuntur & conservantur, in quam creatura nihil potest, ergo, &c.

R E S O L U T I O I I.

XLVII. Dico 2^o. hic mundus, sic est igne immutandus juxta illud 2^a. Petri ultimo: Cæli autem & terra, qui nunc sunt, eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii, &c. Et infra: Adveniet autem dies Domini ut sur, in quo Cæli magno impetu transient, elementa vero calore solvantur: terra autem & quæ in ipsa sunt opera exurentur; cum igitur hæc omnia dissolvenda sint, &c. ut tamen de fide sit cælum & terram esse in se, simili aut perfectiori in æternum mansura. ita Augustinus 20^o. de Civit. cap. 14^o. Gregorius lib. 17. Moral. cap. 1^o. prima pars patet. Probatur secunda ex eadem Epistola Petri, & eodem capite, novis vero Cælos & novam terram secundum promissa ipsius expectamus. Sed clarius Apoc. 21. Vidi cælum novum, & terram novam; primum enim cælum, & prima terra jam abiit.

DISPUTATIO TERTIA.

De Natura, Numero & Motu Cælorum.

I. **Q**uia perfectè cognosci non potest natura cælorum, an simplices, an compositi sint, nisi prius explicetur quid corpus simplex. Sit

D V B I V M I.

Quid sit Corpus simplex, & an possibile.

II. **A**nte Resolutionem, Suppono Corpus simplex multipliciter sumi: primò prout opponitur corpori simplici completo: secundò prout opponitur corpori composito ex materia tamquam potentia, & forma tamquam actus; sed clarum est per corp^u hic non intelligi illud, quod constat partibus, quarum una se habeat per modum potentia, altera per modum actus; sed quod sit substantia completa nullam includens distinctionem partium essentialium, licet habeat partes integrales: ita, ut sicuti datur substantia spiritualis completa Physicè simplex, v. g. Angelus, ita sit dabilis substantia corporalis, si ve corpus completum, Physicè simplex. Hoc supposito, sit

R E S O L U T I O.

XIII. Dico, possibile est corpus completum simplex, id est, non constans materia & forma substantiali. ita D. Thom. in 2^{um} distinct. 12. quæst. 1. art. 1^o. ad 3^{um}. Scotus in 2^{um} distinct. 14. quæst. 2. Durandus in 2^{um} distinct. 12. quæst. 2. Gabriel & Major ibidem, Suarez Disp. 13. Metaph. sect. 10. num. 8. Arriaga, Oviedus, & Comptonus hic contra Hurtadum, Ruvium & alios.

IV. Probatur 1^o, quia possibile est spiritus completus simplex, licet detur incompletus, ut anima

rationalis, ergo & corpus completum simplex, licet detur incompletum, ut materia prima: consequentia tenet à pari: antecedens est certum.

V. Probatur 2^o, de facto datur anima corporea simplex æquivalens in perfectione animæ vegetativæ tantum, & animæ sensitivæ tantum, uti est anima equi in communi sententia; ergo & unum corpus simplex æquivalens in perfectione materiæ primæ & formæ materiali substantiali: Probatur consequentia, quia si talis æquivalentia ad perfectiora de facto detur, à fortiori ad imperfectiora possibilis est, ergo, &c.

VI. Confirmatur. Nihil Deo negandum, quod apertam repugnantiam non involvat, ut sæpius vidimus, ergo, &c.

VII. Objicies 1^o. tale corpus esset materiale & immateriale; sed hoc implicat, ergo, &c. Probatur major, esset materiale, quia esset quantum, & haberet partes extra partes, ut supponitur, & esset immateriale, quia careret materia.

VIII. Respondeo distinguendo majorem, esset materiale & immateriale eodem respectu & contradictoriè, nego majorem; diverso respectu & non repugnanter, concedo majorem: diceretur ergo materiale prout esse materiale idem est, quod habere partes extra partes; non verò prout materiale idem est quod constans materia tamquam comparte corporis Physici; sic enim non diceretur materiale, sed potius immateriale; uti nec immateriale diceretur, si immateriale esset idem, quod non habens partes extra partes, idem quod incorporeum, &c.

IX. Objicies 2^o, tale corpus, nec esset materia, nec forma, ac consequenter, nec potentia, nec actus, nec compositum; unde non apparet, quid esse possit.

x. Respondeo, si per actum intelligatur forma, non debere quidem dici actum; si tamen per actum intelligatur actus substantialis completus, sive simplex substantia, sic posse dici actum, prout Deus & Angeli actus dicuntur.

xi. Obijcies 3^o. tale corpus esset perfectius animâ rationali, quæ est incompleta, & dicit ordinem ad materiam, ergo, &c.

xii. Respondeo distinguendo assumptum, esset perfectius secundum quid, sive quatenus ens completum, concedo assumptum; absolute, nego assumptum; quia esset imperfectius in genere entis, cum sit corpus, illa verò spiritus; alioqui revera sequeretur lapidem esse animali rationali in esse entis perfectiorem, quod nullus dixerit.

xiii. Obijcies 4^o. non potest dari corpus sine principis Physicis & partibus essentialibus corporis; ergo nequit dari corpus completum simplex, sive non compositum ex materia & forma principis Physicis.

xiv. Respondeo distinguendo assumptum, non potest dari corpus compositum, de quo Aristoteles in Physica, sine principis Physicis & partibus essentialibus corporis compositi, concedo assumptum; corpus ut sic, vel, prout est alterum membrum dividens corpus in compositum & simplex, nego assumptum.

xv. Obijcies 5^o. non potest dari substantia creata incapax formæ accidentalis; ergo nec substantia corporea incapax formæ substantialis.

xvi. Respondeo 1^o. retorquendo argumentum in Angelos; non potest dari substantia creata incapax formæ accidentalis, ergo nec substantia spiritalis incapax formæ substantialis.

xvii. Respondeo 2^o id non requiri, sed sufficere, quod possit dari substantia æquivalens subjecto & accidenti, prout dari posse patet in sententia identificante quantitatem materiæ, & potentias animæ; ex quo sic arguuntur, potest dari substantia æquivalens accidenti & subjecto, ergo & alia æquivalens materiæ & formæ corporeæ.

xviii. Obijcies 6^o. quantitas est proprietas materiæ: vel ergo tale corpus simplex haberet quantitatem? & sic haberet materiam; quia ubi proprietas, ibi essentia; vel non haberet? & sic non esset corpus, quia non datur corpus non quantum.

xix. Confirmatur 1^o ex P. Hurtado loco citato supra: quantitas est accidens per se ordinatum ad formam substantialem; ergo connaturaliter non potest reperiri, nisi ubi potest reperiri forma substantialis, & consequenter materia prima.

xx. Confirmatur 2^o, quia sicut Cælum non est capax caloris, quia non est capax formæ ignis, ad quam calor per se ordinatur; ita illud corpus simplex non est capax quantitatis, quia non est capax materiæ, ad quam quantitas per se ordinatur; repugnat autem, ut dixi, corpus non quantum, ergo, &c.

xxi. Respondeo negando assumptum, quia quantitas dividitur in quantitatem corporis completi simplicis, & corporis incompleti, prout rationalitas dividitur in rationalitatem spiritus completi simplicis & spiritus incompleti. Vnde Tract. 1^o Disput. 1^a. de materia Dub. 7. aliam materiæ proprietatem assignavimus.

Ad primam Confirmationem

xxii. Respondeo negando antecedens, & Ratio jam data est.

Ad secundam Confirmationem

xxiii. Respondeo esse disparitatem, quod Cælum per se non sit identice realiter calor, prout corpus simplex per se identice est realiter quantitas: deinde falsum supponitur, videlicet quantitatem esse materiæ proprietatem, prout calor ignis, cujus oppositum jam ex dictis, tum in Logica, tum loco paulò ante citato, patet: denique multa sunt capacia caloris, quæ non sunt capacia formæ ignis, ut patet in aqua: unde, etiam quoad Cælum, falsum assumitur.

xxiv. Instabis, ex immaterialitate sequitur rationalitas, & aliunde corpus simplex esset ens completum, ergo esset perfectius animâ rationali.

xxv. Respondeo negando assumptum, & contrarium patet in gratia, fide, spe, & charitate; imò nequidem ex immaterialitate substantiali negativa, qualis tantum esset corporis istius simplicis completi, sequeretur rationalitas, magis quàm ex negatione materiæ; licet sequeretur ex immaterialitate positiva substantiali, sive spiritualitate substantiali; ut consideranti patebit.

xxvi. Obijcies ultimò; esse est propter operari; sed illud corpus nullum posset habere operari, ergo, &c. Probatur minor; non transiens, quia illud est ad producendum sibi simile, quod non posset, quia per creationem producit; neque immanens, quia non esset vivens, nec aliud suppetit, ergo, &c.

xxvii. Respondeo negando minorem, ad ejus probationem primam Respondeo, quod posset habere operari transiens; quia operari transiens non necessariò est ad operandum sibi simile in substantia, sed proportionatum agenti ut quo, ut in aqua calida patet, quæ calcescere dicitur, non ut aquam sibi similem producat, sed ut aquam, sicut est, calidam faciat: deinde axioma hoc, *agens transeunter agit, ut assimilet sibi passum*, hoc modo distingui debet, agens transeunter agit, ut assimilet sibi formaliter aut virtualiter tali passum, verum est; sibi formaliter tali tantum, falsum est; quia quod sol ad generationem formarum auri, gemmarum, &c. concurret, inficiabitur nullus; quis tamen asseret tunc solem agere ad assimilandum sibi formaliter tali passum? posset insuper habere operari immanens quoad suas proprietates, licet non foret vivens, ut patet in aqua, igne, & ceteris corporibus inanimatis; an autem illud posset esse vivens? quidquid P. Hurtadus, non videtur posse negari; quia licet fortè non posset ab intrinseco vegetare, omnino tamen progressivum & sensitivum esse posset, ad quæ vegetatio omnino est impertinens: imò etiam vegetare posset, non quidem per transmutationem substantialem alimenti introsumpti in propriam substantiam; quia illa deberet esse annihilatio; sed per unionem corporis simplicis alimenti per introsumptionem alterati ad propriam substantiam.

D V B I V M I I.

An Cælum sit Corpus Completum simplex.

R E S O L U T I O

xxviii. **D**ico, sive attentâ autoritate, sive attentâ ratione, dubium & incertum est, an Cælum sit corpus completum simplex.

plex, an corpus ex materia & forma compositum, est contra Scotum in 2^m diff. 14. art. 2. & Scotistas, ac plurimos alios.

xxix. Probatur prima pars, quod fortè sit corpus completum simplex ab autoritate; quia in primis Cælum empyreum significari hic per Cælum, in principio creavit Deus Cælum & terram, per vulgata est apud Theologos interpretatio (inquit sanctus Hieron. libro 1^o in Genesim) jam enim annis ab hinc nongentis, à plerisque Theologis recepta & probata est, imò per Cælum ibi significari reliquos Cælos, est Sancti Hieronymi Epistola 39. ad Cyprianum, Sancti Basilii homilia secunda in Exam. quos sequuntur PP. Suarez Metaph. Disputat. 13. sect. 11. num. 26. & Comptonus hic, idque mihi cò verisimilius, quod Psalm. 101. id quod in Genesi loco citato dicitur in singulari, in plurali numero dicatur, *in initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cæli.* Vnde præcatus P. Suarez num. 27. dixerat, *ex divinis scripturis colligi non posse, Cælos esse factos ex materia elementorum.* ita etiam Durandus, Gabriel, Aureolus, Bassolus, &c.

xxx. Subsumo: atqui ex illis, ut minus sequitur Cælos non esse ex materia elementorum, nec aliunde est fundamentum dicendi, quod sint compositi ex materia & forma, magis, quam corpus simplex, ergo, &c.

xxxi. Probatur prima pars, quod fortè non sit corpus completum simplex ab autoritate; quia (præterquam quod multi PP. à Saliano tomo 1^o die 2^a & 4^a. citentur, qui docent Cælos ex aqua factos) Genes. 1^o. 26. & 30^a. aër nomine Cæli exprimitur. 2^o Regum 22^o. Cælum significatur esse regio nubium. Paralip. 2^o cap. 7^o. & Iob 1^o. Cælum significatur esse ignitum; atqui aër, nubes, ignis, &c. quædam sunt composita ex materia, & forma; ergo, &c.

Dices Cælos tantum esse ignitos, aëreos, &c. virtualiter aut secundum eorum qualitates.

Respondeo primò non esse conforme menti Ecclesiæ, cò quod scriptura accipi debeat in proprio sensu, quamdiu ex eo, quod sic accipiat, absurdum nullum sequitur. Adde hanc sententiam esse hodie valde communem; eamque sequuntur, post multos antiquos, Capreolus, Soncinas, Conimb. Murcia, Hurtadus, Tannerus, Arriaga, Oviedus, &c.

xxxii. Confirmatur, quia circa hanc difficultatem vel ipsa mens Aristotelis est obscura; 8^o. quidem Metaph. textu 14. ait, *neque omnium est materia, sed quorumcumque generatio, & transmutatio invicem sunt.* Tenet autem Cælos esse intransmutabiles & incorruptibiles; ac proinde eorum non esse materiam 1^o. de Cælo, ubi docet Cælum esse quoddam singulare & materia constare, ergo, &c.

xxxiii. Probatur secunda pars, quod fortè sit corpus simplex, à ratione, quia nulla ratio efficax adferri potest pro utraque parte, ergo, &c. Probatur antecedens solutione rationum, quæ pro utraque parte adferuntur, quæ facilis est, si pro una parte supponatur esse possibile corpus completum simplex, & cælos esse incorruptibiles; sic enim nullum erit indicium materiæ in Cælis; & pro altera dicatur cælos, excepto empyreo, esse corruptibiles, nec esse rationem, cur scripturæ loca pro secunda parte, quod non, ab autoritate supra citata improprio sensu intelligantur: hinc enim

patet in eis esse debere tale fundamentum vicissitudinis, quale est in sublunariis, ergo, &c.

D V B I V M I I I.

An materia Cælestis sit specie distincta à sublunari.

R E S O L U T I O I.

xxxiv. Dico 1^o. si Cæli sint Corpus simplex completum; quod dubio præcedenti tamquam probabile resolutum est, clarum est materiam cælestem specie distingui à sublunari.

R E S O L U T I O I I.

xxxv. Dico 2^o. si Cæli sint corpus compositum ex materia & forma, quod ibidem etiam probabiliter resolutum est, an materia Cæli empyrei sit specie distincta à materia sublunari, est dubium & incertum; cæli verò syderei & aërei sunt ejusdem speciei.

xxxvi. Probatur prima pars, quia nullà Physicâ aut Mathematicâ experientiâ, aut ratione, cælum empyreum attingitur, nec de illo scriptura distinctè loquitur, ergo, &c.

xxxvii. Confirmatur, licet cælum empyreum esset incorruptibile, ut docet S. Clemens, vel (ut alii) S. Petrus, apud ipsum lib. 2^o recognitionum; non ideo illis materia esset à nostrate specie distincta, ut parte 1^a. Disput. 2^a. dubio ultimo vidimus, ergo, &c.

xxxviii. Probatur secunda pars, quia Cæli syderei & aërei constant ex materia elementari, igne scilicet & aëre, ergo, &c. antecedens pro prima parte est Augustini, Basilii, Ambrosii, Theodoret, Anselmi, Chrysostomi, Iustini, Bedæ, & aliorum: secunda pars verò manifesta est ex scriptura, quæ continuo clamat, *volucres cæli, volatilia cæli*, &c. ubi per Cælum, aëreum intelligitur: scripturas autem habes dubio præcedenti citatas: unde meritò P. Poncius hic Disputat. 1^a. quæst. 2^a. ait, quod cælum sit aliquod ex elementis, aut mixtum illis constans, erat communis apud alios Philosophos ante Aristotelem, cui sententiæ favent multi ex SS. Patribus, quos in eo sensu citat, & sequitur Camerarius p. 2^a. q. 4^a. quare Cælum infinitum constat ex aëre; medium, ubi astra & planetae, igne: supremum est empyreum, de cujus substantia dubium est.

xxxix. Objicies 1^o. Cæli moventur circulariter, non elementa, 2^o terra est gravis, unde non movetur sursum; ignis est levis; unde non movetur deorsum; Cæli, utpote in motu continuo circulari, modò sursum, modò deorsum, unde elementa deberent esse extra locum naturalem. 3^o si cælorum aliquod esset terra, aut aër, aut aqua, deberet comburi nimio solis ardore. 4^o si Cælorum aliquod esset ignis, cur Universum non combureret? cur hyeme frigus sentiretur, &c.

xl. Respondeo ad primum Cælos moveri circulariter à virtute motiva intrinseca, prout viventia, licet communissimè gravia, ab ea moventur. Respondeo ad secundum in terra, igne, &c. sublunariis deesse qualitatem illam motivam primò à Deo in materia cælorum productam, eodem modo, quo in materia terræ primò forma terræ à Deo

à Deo producta est, id est, præter illius exigentiam intrinsecam, & ex puro Dei beneplacito. Ad tertium, non apparet, quomodo si cælum esset terra, deberet potius comburi ardore solis, quam tota terra de facto comburi debeat ardore scintillæ; quia major est magnitudinis differentia inter solem & Cælum, quam inter totam terram & scintillam. Ad quartum, Respondeo à Cælo isto igneo Vniuersum sublunare non comburi, quia quod cælum illud majus, eò magis ab Vniuerso sublunari distat; quod magis autem distat, eò magis minuitur ipsius in Vniuersum sublunare activitas, unde cum multum ab Vniuerso sublunari distet, in eo parum sentitur illius activitas.

XL. Objicies 2^o ex P. Poncio hic Disputat. 51. quæst. 2. Cælum non potest esse ignis, quia humectat & frigidat; non aqua, quia calefacit; non aer, quia utrumque facit; ergo, &c.

XLII. Respondeo 1^o istos effectus à nobis in hoc Vniuerso sublunari, non ab astro uno tantum sentiri; sed modò ab uno, modò ab alio, modò magis ab uno, & minùs ab alio, prout fuerint numerum interposita obstacula; supra aerem enim etiam esse aquas, satis colligitur ex scriptura: *Fiat firmamentum & dividat aquas ab aquis.* Gen. 1^o. *qui ligat aquas in nubibus suis.* Job. 26. quod autem scriptura dicat: *Deum posuisse stellas in firmamento*, nihil obstat, quia de firmamento syderei cæli loquitur, non aerei, de quo ibi.

XLIII. Respondeo 2^o effectus istos esse ab astris, qui sunt corpora ex elementis mixta, ut constat, ex eo quod sint colorata; nam Luna est pallida, Mars igneus & sanguineus, &c. illa autem accidentia sunt propria mixtorum, & cum non sint una ex primis qualitatibus elementorum, eas præsupponunt, licet alia in gradu intensiori alia in remissioni, pro qualitate suæ activitatis.

D V B I V M I V.

An Cæli sint Corruptibiles.

R E S O L U T I O I.

XLV. **D**ico 1^o Cælos esse incorruptibiles, etiam ab intrinseco, dato ex dictis Dub. 3^o, quod sint corpora simplicia, manifestum est: an Cælum empyreum sit incorruptibile, etiam dato, quod sit compositum, sed quod dubium sit, an constet materiâ sublunari ejusdem speciei cum nostrate? Verisimilius est, quod sic, quia dicitur, ex S. Petro, apud Clementem lib. 1^o recognitionum, *esse perpetuum & æternum.*

R E S O L U T I O II.

XLVI. **D**ico 2^o Cæli alii ab empyreo sunt corruptibiles, dato quod sint compositi ex materia & forma. ita Augustinus, Gregorius, Ambrosius, Hieronymus, Theodoretus, Damascenus, Irenæus, Cyrillus noster Hierosolymit. Hugo Victorinus, Beda, & alii plures, quos citat Pererius in cap. 1^{um}. Genes. item ex Astronomis Tycho, Rothmanus, Borcanzanus, & plures alii, quos sequitur Doctissimus Fromond. lib. 3^o. Meteororum art. 7^o. à Lapide in Gen. cap. 1^o.

XLVII. Probatur 1^o. ex Scriptura, Petri Epistolâ 2^a, cap. ult. *Cæli qui nunc sunt & terra, eodem ver-*

bo repositi sunt, igni reservati in diem judicii & perditionis. Et infra: *Adveniet dies Domini ut sur in quo cæli magno imperu transierint, elementa vero calore solventur, terra autem, & quæ in ea sunt opera exurentur.* Et infra: *Cæli ardentis solventur, & elementa ignis ardore tabescent; novos vero cælos & novam terram expectamus.* Item Isaia 51. *Cæli sicut fumus liquefient, & terra sicut vestimentum atteretur.* Et cap. 65. *Eccce ego creo Cælos novos, & terram novam.* Et cap. 30^o. dixerat, *erit lux lunæ, sicut lux solis, & lux solis erit septemplex sicut lux septem dierum.* Et in Psalmo 101. *Initio tu Domine terram fundasti; & opera manuum tuarum sunt Cæli: ipsi peribunt, tu autem permanes; & omnes sicut vestimentum veterascent; & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.* Et Apocal. 21^o. *Vidi Cælum novum, &c. ergo, &c.*

XLVIII. Probatur 2^o ratione, variæ contingunt generationes & corruptiones in Cælis, ut constat ex certissima mathematicorum observatione, quos, utpote per tot sæcula observationibus & tubis opticis, aliisque instrumentis, certissime collimantes, tutius est sequi, quam Philosophos; qui, propter longissimam distantiam & visus oculorum per se debilitatem facile decipiuntur; nam unicuique magis in sua arte credendum est, ergo, &c. Probatur antecedens 1^o ex maculis & faculis, quæ in solis corpore modò sunt, modò non sunt. 2^o ex eo quod radii solares videantur corpora cometarum pervadere & immutare, sic ut interdum per medium caudæ, interdum aliter appareant. 3^o quia juxta S. Augustinum lib. 21. de Civitate, dicitur stella Veneris mutasse cursum, colorem, magnitudinem: 4^o ex stella Cassiopeæ, quæ apparuit anno 1572. & anno 1574. evanuit. 5^o. anno 1602. & 1604. apparuerunt novæ stellæ in Sagittario & pectore Cygni, quarum una dicitur disparuisse; ergo, &c.

XLIX. Confirmatur, vel Cælum fuit toties mutatum naturaliter, vel miraculose? si primum, habemus intentum; si secundum (præterquam quod non sit Philosophicum ad miracula recurrere) nulla apparet utilitas istorum miraculorum, maxime in stellis: & si quæ esset utilitas, ut v. g. terror hominum ad emendationem vitæ; nunquid æquè terrerent homines, vel excitarent ad vitæ emendationem, si naturaliter producerentur, ac si miraculose, quod homines discernere non possunt? denique cur Deus Cælum incorruptibile produxisset, quod toties postea, saltem supernaturaliter, voluit corrumpere? vel ad quid Deus produxisset cælum expers corruptionis, quod aliquando corrumpere volebat?

L. Objicies 1^o Autoritatem Aristotelis, oppositum docentis.

LI. Respondeo ejus autoritatem hic nihil esse faciendam, putavit enim Cælum esse incorruptibile latè, quod est contra fidem; etsi tamen aliter putasset, plus credendum est uni scripturæ loco, quam omnibus libris Aristotelis, qui in fidei contrariis, ut contradictoria sperni debent.

LII. Objicies 2^o, Cæli per qualitates suas resistunt agentibus circumstantibus, licet contrariæ non sint, sicut videmus opacum luci repugnare, licet ei non sit contrarium.

LIII. Respondeo ad summum inde sequi diffculter admodum posse cælos corrumpi, vel tantum esse incorruptibiles ab extrinseco, siue quia nō datur

tur agens creatum, quod eos possit corrumpere: sicuti cælum dicitur incorruptibile, ingenerabile in nostra & ipsorum sententia, quia non datur agens, quod possit novum cælum generare: id autem tantum sequi, probatur, quia resistentia illa est limitata, & vis agendi naturalis potest semper crescere; unde & resistentiam illam superare potest: ideo autem opacum luci repugnat, quia contrariatur diaphaneitati, quam in subiecto requirit lux, utpote inter qualitates valde nobilis.

LIV. Instabis, Cælo nihil est contrarium, ergo, &c. Probatur antecedens, quia motui circulari nullus alius est contrarius, ergo, &c.

LV. Respondeo negando anteced. ad ejus probationem, dato antecedente, nego consequentiam; licet enim demus motui circulari nihil esse contrarium, non tamen sequitur nulla alia accidentia cælo competere, quæ habent contrarium.

LVI. Obijcies 3^o: sicuti datur materia, quæ virtute agentis naturalis per similem materiam penetrari non possit; ita forma datur, quæ virtute agentis naturalis corrumpi non possit, illaque rectè assignatur forma cælorum; ergo, &c.

LVII. Respondeo 1^o. argumentum illud, vel nimium probare, videlicet formas omnes esse incorruptibiles, prout de facto omnis materia est impenetrabilis, vel ut summum convincere unam formam esse incorruptibilem, & illam dicemus esse materiam 1^{am}.

LVIII. Respondeo 2^o. inde sequi formam esse secundum diversas partes integrales corruptibilem, quia infra ostendemus materiam 1^{am} secundum aliquas partes integrales esse virtute agentis naturalis penetrabilem.

LIX. Respondeo 3^o negando sequelam, & ratio disparitatis est, quod impenetrabilitas materię non pendeat à dispositionibus incorruptibilibus, uti inseparabilitas formæ à materia, ac per consequens incorruptibilitas; non probatur autem dispositiones ad formas cælorum esse incorruptibiles.

IX. Obijcies 4^o. omnes cælorum mutationes in Conclusionis probatione enumeratæ, omnino videntur miraculosæ, quia frequentissime futura prænuntiant, ergo, &c.

LXI. Respondeo, licet fortè earum aliquæ sint miraculosæ; id enim non repugnat, neque à nobis certò deprehendi potest; tales tamen agnosci non debent antequam in illis effectum aliquem supra naturam deprehendamus: neque id sequitur ex eo quod Dionysius lib. de divinis Nominibus cap. 4^o. dicat cæli substantiam, nec augeri, nec minui, sed nec prorsus mutari; quia vel ly nec significat idem, quod non nisi difficulter; vel Dionysius loquitur de cæli substantia secundum latitudinem.

D V B I V M V.

An Cæli sint animati.

ANte Resolutionem
LXII. Suppono, Cælos non esse animatos, non esse fidei divinæ, ut patet ex Sancto Thoma lib. 2^o contra Gentes cap. 70^o. hoc enim quod dictum est de Cæli animatione, non diximus quasi asserendo secundum fidei doctrinam, ad quam nihil pertinet, sive sit, sive aliter dicatur. Et Scoto in 2^{um} distinct. 14.

quæst. 1^a. Breviter, si cæli non sunt animati, hoc est creditum, non ratione conclusum. Quia nulla est conditio, in corpore illo ita perfectio, manifeste apparens repugnare animationi. imò de Christianis hoc modo scribit P. Comptonus, inter Christianos non defuerunt, qui hoc senserint: imò ipsemet sanctus Augustinus & sanctus Hieronymus dubii hac in re videntur: Origenes verò Tom. 1^o Comment. in Ioannem & lib. 4. Periarchon. cap. 77. stellas non solum animatas esse docet, sed virtutibus etiam ac vitii capaces, Christumque non pro hominibus tantum, sed pro astrorum etiam peccatis esse mortuum. Dubitat etiam Dionysius Carthusianus in 2. distinct. 14. quæst. 4. Vtrum cæli animati sint, necne. Idem probabile censet Aureolus in 2. distinct. 14. quæst. 2. arbit. 2. & quæst. 3. favetque eidem opinioni Cajetanus in Psalm. 135. Imò S. Thomas lib. 2. contra Gen. cap. 70^o. & alibi idem sensisse videtur: sed x. p. quæst. 70^a. art. 3^o. opinionem illam retractat.

LXIII. Adde & Doctorem Fromondum de Anima lib. 10. cap. 1^o. art. 80. ubi ait: inter Sanctos Patres, præsertim Latinos, magna olim ea de re etiam dubitatio. Sanctus Augustinus eorum vertex & omnium circumspectissimus, quia nihil usquam resolutè asserere solet, nisi sacris litteris, aut Ecclesiæ traditionibus expressum, aut certâ ratione comprehensum videat, hic etiam vacillat; nam, nec illud quidem, ait certum habeo, utrum ad eandem Angelorum societatem pertineant. Sol & Luna & cuncta sydera quamvis nonnullis lucida corpora esse, non cum sensu vel intelligentia videantur. Alibi tamen aversum magis à Platone inclinationem suam ostendens: Neque Platoni, inquit, continuò concedendum est, globos istos luminum, sive orbiculos, luce corporeâ super terras, seu die, seu nocte fulgentes, suis quibusdam propriis animis vivere. ita Augustinus. Pergit idem Fromondus: Sanctus Hieronymus simili etiam fluctu fluctuat: nam ubi Ecclesiastes ait, Lustrans Univerſa, in circuitu pergit spiritus, dubitat, an ipsum solem, spiritum nominaverit; quod animet, & spiraret & vigeat, & annuos cursus expleat: an quod & lunæ lucentem globum, & atra Titania:

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus

Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Hoc enim Poetæ Versus in Commentarium suum attrahit. Verumtamen paulo infra profundè Anathematismum V. Synodi, nempe. Si quis dicat Cælum & solem & lunam & stellas & aquas, quæ super cælos sunt, animatas & materiales (vel potius ut Nicephorus) rationales, Anathema sit. Expendit & subdit; itaque hodie, ut minimum temerarius est, qui cælum & sydera anima rationali prædita esse credit.

RESOLUTIO. I.

LXIV. **D**ico 1^o. Cælum non est animatum animâ vegetativâ.

LXV. Probatur, quia nullæ functiones, aut actiones, vitæ in eo apparent; neque enim crescit, aut augetur, aut sibi simile producit, quæ sunt operationes, ex quibus colligimus animam vegetativam in plantis: nam, quod dicant quidam antiqui cælum nutriri vaporibus ex aqua & terra assumptis, vanum est; quia videmus illos resolvi in pluvias, grandines, &c. deinde tota terra & aqua resoluta non sufficerent pro tanto corpore ad unum diem.

RESQ^a

RESOLUTIO II.

LXVI. **D**ico 2^o. neque cœlum habet animam sensitivam. Probatur, quia anima sensitiva, est etiam vegetativa; sed hanc non habet, ergo nec illam. Deinde in Cœlo, aut astris, nulla apparent organa, aut actus animæ sensitivæ, nisi quis Philosophetur Poëticè & ridiculè, dicatque Cœlum videre per solem quasi per oculum, audire per polos tamquam per aures, ergo, &c.

RESOLUTIO III.

LXVII. **D**ico 3^o. multò minus habet animam rationalem; Probatur quia aliqui esset capax meriti & demeriti, esset in gratia, vel extra, culpâ propriâ, quæ nullus admiserit, unde meritiò in Concilio Lateranensi Capit. *summe de summa Trinitate*, inter rationales creaturas, soli Angeli & homines numerantur: denique anima rationalis est etiam sensitiva & vegetativa, & valde multa organa requirit, quæ antea in Cœlo negamus.

LXVIII. Obijcies 1^o. In scriptura dicuntur cœli laudare Deum, obedire Deo. &c. item Psalmo 135. *qui fecit cœlos in intellectu*, id est, intellectu præditos.

LXIX. Respondeo nihil ex illis sequi, ad primum, cœli dicuntur laudare Deum tantum materialiter, faciendo scilicet id, ad quod à Deo, & ordinati sunt, & constituti, ad secundum dico locum illi Psalms non cum habere sensum, sed hunc genuinum, *Deus in intellectu*, id est divinâ intellectus sui sapientiâ cœlos condidit: vel, Deus cœlestia corpora ita procreavit, tamque rarum ordinem, tantam constantiam & proportionem eorum indidit motibus, ac si ea intellectu prædita fecisset.

RESOLUTIO IV.

LXX. **D**ico 4^o. præscindendo ab autoritate V. Synodi supra citatæ (nisi cum Nicephoro loco *materiales* intelligas *rationales*, idque copulatum, cum verbo præcedenti, *animatas & rationales*) verisimilius est secundum Philosophiam naturalem præcisè cœlos esse animatos anima locomotivâ distinctâ à vegetativâ, sensitivâ & rationali, ita senserunt Plato, Pythagoras, & plures antiqui Philosophi è quibus supplicio affectus est Anaxagoras (teste S. Augustino lib. 18. de Civit. c. 41.) quia contrarium docuit: Ptolomæus & vetustiores Astronomi; Philo Iudæus lib. de opificio mundi; Plinius lib. 2^o. natural. Histor. cap. 8. Tycho in Epist. ad Rothm. Bodinus lib. 5. Theat. Campanella lib. 1^o cap. 13. de sensu, quorum nullus animam cœlis negat, licet plerique vegetativam aut sensitivam, &c. illis concedant, quod supra rejecimus.

LXXI. Probatur, illa quæ in centro suo naturali movent se localiter, supra & infra sunt viventia, sive animata; atqui cœli sunt tales, ergo, &c. major videtur esse Divi Thomæ 4^o contra gentes cap. 11^o. ubi post Aristotelem ait *viventia sunt, quæ seipsa movent*. nec certè ullus est, qui aviculæ vitam & animam negaret, si in ipsa solum volatum, aliunde certus, quòd ab extrinseco non moveretur deprehenderet: & sic consequenter de serpentibus

super terram, ergo, &c. Probatur minor; quia cœli moventur supra & infra ab intrinseco in centro, sive loco suo naturali, existentes; ut dubio sequenti probabitur, ergo, &c.

LXXII. Confirmatur 1^o. vel dicendum motum progressivum ab intrinseco quæ talem non esse actum vitalem, quod dici non potest, alioqui idem dici à fortiori deberet de sensationibus, vegetationibus, &c. vel dicendum cœlorum motum localem ab intrinseco pariter esse actum vitalem, ac per consequens animam in ipsis præsupponere.

LXXIII. Confirmatur 2^o. omnis operatio vitalis præsupponit suum principium esse animatum; sed omnis operatio, quæ in nutritivis præsupponit esse introsumptionem alimenti, est vitalis, ut omnes fateri tenentur; ergo motus localis cœlorum præsupponit suum principium esse animatum, sive animam locomotivam: Probatur consequentia, quia motus ille in nutritivis ex se præsupponit introsumptionem alimenti.

LXXIV. Obijcies 1^o ex D. Fromondo loco suppositione primâ citato, potentia locomotiva animalis non est sine nutritiva, quæ spiritus naturales ei fabricat, quibus tamquam instrumentis membra sua movet: sic enim omnium animalium motus progressivos exerceri videmus; ergo, &c.

LXXV. Respondeo negando consequentiam; quia ex antecedenti ut summum concluditur in cœlis non esse potentiam locomotivam similem illi, quæ est in animalibus; non verò nullam esse vitalem; quia, ut vel in Angelis patet, potentia locomotiva ut sic non habet conjunctam nutritivam, imò corpora gloriosa independenter ab ulla nutritione naturaliter ab intrinseco locomovebuntur.

LXXVI. Obijcies 2^o ex P. Comptono nullum est vitæ vestigium in cœlis, unde gratis, & sine ullo fundamento, vitam iis quis tribuerit. Conf. aliqui pari quis ratione dixerit aërem vivere: sicut autem hoc asserere esset divinare, ita & illud.

LXXVII. Respondeo in illis omnino apparere vestigia animæ locomotivæ, quam solum adstruimus; non verò vegetativæ aut sensitivæ, quam illis omnino negamus.

LXXVIII. Ad Confirmationem, nullus concedit aëri motum ab intrinseco in loco suo naturali, uti cœlis plures supra citati.

D V B I V M .VI.

An Cæli per se ab intrinseco: an ab intelligentiis moveantur localiter.

LXXIX. **A**nte Resolutionem pro 1^a parte non nisi temerè à nonnullis temerariam censeri; quia in primis varii celebres authores eam defendunt: ac imprimis August. & Hieron. dubio præcedenti citati: Suarez Metaph. Disput. 29. sect. 1^a. & P. Fromond. de Anima lib. 1^o. c. 1^o. art. 8^o. dubii hærent, an non animâ, aut à virtute intrinseca, sicut lapis à sua intrinseca gravitate moveantur. Valentia autem 1. parte Disput. 4. p. 1^a. Vasquez etiam 1^a. parte Disput. 178. cap. 1^o. Raynaudus suæ Theologiæ naturalis dist. 2^a. quest. 1^a. art. 10. & multi alii docent efficaciter non probari dari Angelos ex motu cœlorum; quia ab intrinseco moveri possunt, eam autem in terminis tenent

nent Gabriël in 2^{um} dist. 14. quæst. unicâ art. 3^o. dub. 2^o. Vallesius contr. II. & 26. Albertus à Saxonia 8. Physic. quæst. ultimâ. Guilielmus Parisiensis parte 2^a. cap. 152. Camerarius Disp. 25. Telles hic, &c. Hoc supposito, sit

RESOLUTIO I.

LXXX. **D**ico 1^o. Spectatâ præcisè authoritate communi, & suadente non nihil ratione, probabilius videtur cœlum moveri ab Angelo.

LXXXI. Probatur 1^o. ab authoritate communi. est apertè Aristotelis 8^o. Physic. cap. 6^o. & 12^o. Metaph. textu 43^o. est etiam D. Thomæ variis locis, ac in primis opusc. 10^o. art. 3^o. ita dicentis, *sed cœlestia corpora à spirituali creatura moveri à nemine authorum, vel Physicorum, negatum legisse me memini*, deinde de potentia quæst. 6^a. art. 3^o. in corpore de Angelis loquens dicit, *fidei sententia est, quod non solum corpora cœlestia suo imperio moveant localiter, sed etiam alia corpora Deo ordinante*.

LXXXII. Eandem quoque sententiam sequitur Bonaventura in 2^{um} dist. 14^a. q. 2^a. art. 3^o. quam fidei in primis & rationi consentaneam vocat, ubi referens quosdam asserentes cœlos moveri à propria forma, & ut videtur intelligere mediante luce, dicit eos tandem eo debere recurrere, ut Deus illam formam peculiari influxu juvet; quare oppositam tamquam opinionem Magistrorum, tam in Philosophia, quam in Theologia, amplectitur.

LXXXIII. Confirmatur, in eandem opinionem abierunt SS. Patres, Dionysius cap. 5^o. cœlestis hierarchiæ; S. Augustinus 3^o. de Trinitate cap. 4^o. ubi dicit sicut inferiora corpora per superiora, ita superiora per spiritum vitæ quodam ordine regi.

LXXXIV. Adde pro eadem facere illud Iob 9^o. *sub quo curvantur, qui portant orbem*, id est Angeli, qui suo nutu cœlestem mundum circumvehunt, uti est quorundam interpretatio; ex quibus omnibus sic infero, ergo spectatâ præcisè authoritate, probabilius est cœlum moveri ab Angelo. rationes, quæ id non nihil suadent, obijciuntur contra sequentem Resolutionem.

RESOLUTIO II.

LXXXV. **D**ico 2^o. Spectatâ præcisè ratione, longè probabilius est cœlos moveri ab intrinseco.

Probatur à causa libera, cum necessariò moveantur, eos moveri non expedit; & aliunde ipsos moveri ab intrinseco non repugnat, ergo, &c.

LXXXVI. Confirmatur 1^o. alioqui non est cur similiter non dicam lapidem in centrum à Deo aut Angelis moveri, item motum progressivum animalium, ab illis & non ab animabus intrinsecis esse; si enim propter experientiam, motus illis tanquam ab intrinseco sese moventibus tribuatur, quidni & cœlis? ergo, &c.

LXXXVII. Confirmatur 2^o. quia scriptura magis nostræ sententiæ favet, quàm oppositæ, quia Iosue 1^o. datur soli & lunæ imperium ne moveant se, non autem Angelis ne solem & lunam moveant, quod alioqui fieret: locus verò ex Iob 9^o. *sub quo curvantur, qui portant orbem*, quem adversarij pro se citant melius de primis hujus mûdi inferioris Monarchis cum Beda, Dydimio, Cajetano, Symmacho, Pagnino, Vatablo & aliis intelligitur quàm de Angelis. S. Thom. autem q. 9. de potentia art. 3^o. dicens, *fidei autem sententia est, quod non solum Angeli corpora*
R.P. Francisci Bone Spei Physica.

cœlestia suo imperio movent localiter, sed etiam alia corpora, Deo ordinante & permittente: solum commendat Angelorum authoritatem & superioritatem ad illa corpora sibi subiecta, quoad motum enim illis subjecit Deus orbem terræ. per quod actio terrenorum ab intrinseco non impeditur, ut patet, ergo, &c.

LXXXVIII. Obijciens, si motus cœlorum esset ab intrinseco, illis esset naturalis, sive juxta inclinationem eorum naturalem; sed hoc est falsum, ergo, &c. Probatur minor, quia, ut notat P. Poncius hic, locus quem hodie habet sol, non cedit ullâ ratione in emolumentum ipsius, ergo, &c.

LXXXIX. Resp. negando minorem, ad ejus probationem Resp. motum illum cedere in solis emolumentum, prout perfectio naturalis cedit in emolumentum sui subiecti.

LXXXX. Instabis, si motus ille esset ab intrinseco, esset vitalis: sed hoc est falsum, ergo, &c. Probatur minor, quia solus ille motus est vitalis, qui est indifferenter versus omnem partem, alioqui motus lapidis in centrum esset vitalis: motus autem cœlorum non est indifferenter versus omnem partem, sed ab Oriente in Occidentem tantum, ergo, &c.

LXXXXI. Resp. negando minorem, ad ejus probationem Resp. in primis quod movetur circulariter meridie censi versus omnem partem moveri: deinde Resp. signum vitæ non tantum esse moveri indifferenter versus omnem partem, sed moveri supra & infra ab intrinseco, in loco naturali; quod enim aliqui dicunt magnetem in centro moturum se ab intrinseco versus Meridiem & Septemtrionem: nec experientia, nec ratio suadet motum localem magnetis fieri in loco naturali, licet fiat ad locum naturalem impressæ sibi ab extrinseco qualitatibus ad eum ferè modum, quò acus nautica magnetis attrita movetur, sive quò sit fluxus & refluxus maris: si tamen ita esset, putarem & illi animam concedendam, ferè similem illi, quam Cœlis concedimus, ne pro motu isto ad Deum & Angelos recurrere oporteat.

D V B I V M VII.

An Cœli sint fluidi an solidi.

Ante Resolutionem
LXXXXII. Suppono 1^o. solidum hic accipi prout opponitur fluido, sive liquido, quomodo lapis aëri, cristallum aquæ opponitur.

LXXXXIII. Suppono 2^o. dubium non procedere; 1^o. de cœlo empyreo; quia, nec ab authoritate, nec ab experientia de illius soliditate, aut fluiditate ullum judicium habetur: 2^o. neque etiam de cœlo aëreo, quia experientia docet esse fluidum.

LXXXXIV. Suppono 3^o. injustam esse censuram, quâ soliditatis cœlorum assertores, oppositæ sententiæ authores, ut temerarios & nulla ratione fultos, rejiciunt, cum fortè in ipsosmet eadem censura retorquenda sit, ut infra patebit. His suppositis, sit

RESOLUTIO.

LXXXXV. **D**ico. sive cœlum planetarum, sive firmamentum, est fluidum. sic nempe ut astra in illo moveantur, ut aves in aëre, in aqua pisces.

LXXXXVI. Probatur 1^o. authoritate scripturæ I. *saæ 5^a. cœli sicut cera liquefcent*, quem locum 70. Interpretes exponunt *cœlum sicut fumus firmatum est*; de qua interpretatione interrogatus S. Hieron. cur ita
B b
translatum

translatum esset, cum habeatur in Hæbreo liquecent, Respondit illos ita vertisse, ut ostenderent qualitatem celestis corporis. & Basilii in exam. hom. 1^a. sed de substantia cæli satisfaciunt ea nobis, quæ ab Isaia Propheta sunt dicta, qui vulgaribus verbis idoneum de ipsius natura sensum nobis aperuit, cum dixit, qui firmavit cælum, quasi fumum, id est, qui tenuem naturam, nec solidam, neque crassam ad cæli compositionem, & substantiam producit, &c.

LXXXV. Probatur 2^o. quia non possunt ullæ maculæ solis cum cæli soliditate consistere: item cum illa vix explicari possunt, tam varii planetarum motus, modò infra, modò supra solem; item motus novorum cometarum, nisi pro singulis cometis & planetulis, qui indies ope tubi optici deteguntur, novos cælos somniare velis, ergo, &c.

LXXXVI. Obijcies 10. illud Iob. 37^o. tu forsitam cum eo fabricatus es cælos, qui solidissimi, quasi ære fusi sunt, & Psalmo 32. verbo Domini cæli firmati sunt. Psalmo 101. extendens cælum sicut pellem. quæ consonant alteri loco ex Genesis 1^o. ubi dicitur Deus divisisse aquas ab aquis per firmamentum medium; atqui scriptura debet sumi in sensu proprio, ubi sine absurdo potest, ergo, &c.

LXXXVII. Respondeo in primis ista non esse verba Iob, sed Eliu de quo Dominus dixit, quis est hic involvens sententias sermonibus imperitis? Iob cap. 38. deinde ly solidissimi non accipitur prout opponitur fluido aut liquido, alioqui videretur esse contradictio in terminis scripturæ: in qua dicuntur solidissimi & quasi ære fusi, id est, quasi æs fustum, quod est fluidum ac liquidum; sed prout opponitur fluidis ac liquidis minùs ære fuso solidis, sive rarioribus, qui sensus videtur omnino literalis & ad mætem septuaginta Interpretum ac Patrum supracitatorum: quoad aquas istas: vel ibi miraculose à Deo supra exigentiam suæ naturæ continentur, vel dicendum cælos esse sibi immediatè contiguos sine ulla aquarum elementarium inter-jacentia: ita D. Thom. in 2. dist. 14. q. 1. art. 1^o. & 1^a. parte q. 68. art. 2^o. item Rubius de cælo c. 3^o. q. 7. Suarez. de opere sex dierum lib. 2^o. c. 4^o. & plures alii.

c. Obijcies 2^o. si Cælum esset fluidum, deberent planetæ in illo esse penduli, & dum moverentur, summum ederent strepitum, contra experientiam, ergo, &c.

ci. Respondeo planetas non propriè dici pendulos, quia sunt in loco naturali: deinde quoad strepitum istum, hinc audiri non potest, si fiat, quod est valde incertum, quia à nobis longissimè distat.

D V B I V M VIII.

Quot sint Cæli & astra.

cii. D Iversissimæ sunt in hoc puncto Astronomorum, & Philosophorum antiquorum sententiæ: prima, eaque communior, undecim statuit, septem scilicet inferiores pro planetis septem, quos Astronomi vocant astra errantia, eò quod non semper eandem distantiam inter se servant; unum, illudq; octavum, pro stellis fixis; nonum primum mobile; decimum glaciale; undecimum empyreum, pro quibus videri poterunt Ioannes de Sacrobosco, Clavius, Maginus, Appianus, &c. Secunda Magini triginta septem præter epicyclos. Tertia Basilidis Hæresiarchæ trecentos & amplius, sic quisque pro suo capto & libito: ut tamen hac in re obscura, clarius aliquid dicamus; sit

RESOLUTIO I.

ciii. D Ico 1^o. sunt tantum tres cæli, æthereum, sive, ut aliis placet, æthereum, sydereum & empyreum. Pro hac sententia P. Borrius in sua Astronomia nova fol. 260. citat Augustinum Ambrosi, Damasci, Theodoretum & alios.

civ. Probatur 1^o. ex Apostolo secundæ ad Corinth. 12. ubi dicit se raptum ad tertium cælum, id est empyreum; non verò cælum Veneris (ut nonnulli;) quia paulò post addit se raptum in paradysum Dei; atqui empyreum secundum omnes est omnium altissimum, ergo sunt tantum tres cæli, ipsum scilicet, & duo intra ipsum.

cv. Probatur 2^o. quia multitudo parit confusio-nem, præsertim ubi per pauciora fieri potest totum, quod volunt antiquiores Astronomi & Philosophi per illos plures cælos fieri; quod sit in nostra opinione de cælorum fluiditate, & astrorum ac cælorum motu ab intrinseco, ergo, &c.

cvi. Obijcies 1^o. auctoritatem Aristotelis aliter sentientis; deinde Theodreti, qui vult eos fabulis adhærescere, qui plures cælos numerant, quâ duos.

cvi. Respondeo auctoritatem Aristotelis, non ita attendi; quia in Libris de cælo pluries erravit; Theodoretus verò (præterquam alii cum pro se citent) loquitur de cælis infra cælum empyreum ad quos Astrologi per tubum opticum peringere possunt, qui duo tantum sunt, & cum aliunde empyreum procul dubio agnoscat, tres tantum nobiscum (ut patet) agnoscit.

RESOLUTIO II.

cvi. D Ico 2^o. Planetæ ordinariè septem numerantur hoc versu comprehensa,

Cynthia, Mercurius, Venus, Sol, Mars, cum Iove Saturnus. de quibus hæc rectè P. Telles p. 2. de cælo disp. 45. circa planetas paucula sunt reponenda. Primum igitur, infimum, terrisq; amicum, ut vicinum, sidus est Luna, quæ cursum suum peragit diebus viginti septem, horis octo: sequitur deinde Mercurius, qui solem individuo junctus consortio ambit, & propterea eodem ferè tempore cursum suum cum sole absolvit: post Mercurium Venus procedit, & eodem ferè temporis spatio, cum sole periodum suam conficit: admiranda verò nobis, Telescopii operâ, de Venere innotuerunt; nam juxta diversum modum, quo à sole illuminatur, diverso etiâ modo præfulget; primò corniculata; deinde dimidiata; postea gibbosa; ac demum plena: Sol deinde sequitur, qui proprium motum complet per Zodiacum diebus 365. horis quinque: minutis 49. Mars supra solem elevatus, circulum suum perficit duobus ferè annis: supra Martem communis Astronomorum sententia Iovem constituit; quia minorem exhibet paralaxim, quàm Mars, majorem tamen quàm Saturnus: ad idem signum à quo egreditur, revertitur annis ærè duodecim; septimum tandem locum obtinet Saturnus, duobus parvis stipatus comitibus, qui cum eo in linea æquatori parallela constituuntur, hic proprium motum conficit triginta ferè annorum decursu.

RESOLUTIO III.

cix. D Ico 3^o. certum numerum stellarum vel præfigere, vanum est.

cx. Probatur, quia numerus stellarum & armarum maris, tanquam innumerabilis in scriptura pro-

proponitur ut Genes. 1. 50. *suspice cælum & numera stellas si potes & 25. ac 26. multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & sicut arenam, quæ est in litore maris:* unde errant Astrologi, non nisi mille & viginti duas recensendo; sed turpius Tycho, dum septuaginta tantum numerat, nisi fortè voluerit dicere septuaginta millia & amplius; ergo, &c.

cx1. Adde stellas inerrantes in sex communiter classes distribui. Prima continet stellas quindecim. Secunda 44. Tertia 208. Quarta 474. Quinta 217. Sexta 49. stellæ autem illæ faciunt 12. præcipuas constellationes per Zodiacum juxta sequentes versus distributas:

Signa, Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo.

Libraque, Scorpius, Arcitenens, Capri, Amphora, Pisces. Constellatio autem est certus stellarum numerus effigiem aliquam, vel imaginem alicujus animalis, aut alterius rei repræsentans. Ita P. Telles loco Resol. 2. citato.

RESOLUTIO IV.

cxii. **D**ico 4. quælibet stella firmamenti est sine comparatione major globo terræ; quantum vero præcisè, difficulter dicitur: si

autem quæras, unde distantia magnitudo & situs astrorum colligatur? Resp. varia à Mathematicis adferri. Primo colligitur lunam esse inferiorem sole ex Ecclypsi. Item lunam esse minorem sole; quia nunquam toti orbi totum solem abscondit, sed solum aliquibus ejus partibus: secundo ex umbra, quam projiciunt corpora, colligitur lunam esse minorem terrâ, quia in illius umbra absconditur solem verò esse majorem, quia si esset minor, umbra, quam terra projicit, esset ipsa terrâ major, adeoque totum firmamentum nobis absconderet: si verò æqualis sol esset, umbra etiam terræ protenderetur per modum cylindri in infinitum, cujus utriusque contrarium docet experientia, umbra enim terræ in sycum sive pyramidem definit, & idcirco nulla stella nobis absconditur. Ex tanta vel tanta distantia motus proprii colligitur 3. distantia corporum: quo enim tardius aliquid movetur, eò amplius à nobis distat; hinc luna nostra proxima esse perhibetur, eò quòd celerrimè moveatur: Deinde ex aspectu ad tubum opticum; constat enim illud astrum, quod magis augetur tubi beneficio esse vicinius terræ.

DISPUTATIO VLTIMA.

De Influentiis & Activitate Caelorum in sublunaria.

DUBIUM I.

An Corpora cælestia agant in hac inferiora per influentias.

I. **A**nte Resolutionem Suppono 1. influentiam latè sumi pro quacumque qualitate ad productionem alicujus effectus efficienter concurrente: hic verò strictius accipi pro occulta quadam qualitate materiali à luce distinctâ, quæ variorum effectuum sit productiva, voceturque qualitas virtualis; quia scilicet diversos à se specie producit effectus, & in hoc à calore discrepat, quòd sensu externo non percipitur, nec in suis operationibus impediatur ab occursum corporum opacorum, ut lux, cui, quia corpora opaca resistunt nec se penetrare permittunt, in nostros antipodas, in absentia solis, dominari non licet.

ii. Suppono 2. motum cæli non esse quidem adequatam rationem cur cælum agat, quia motus ut summum est via ad præsentiam localem, ut patet; esse tamen conditionem requisitam ad hoc ut ordinatè influat in sublunaria: si enim omnino quiesceret, ordo universi brevè perverteretur, & præstantissima animalia cito deficerent, vel calore nimio, vel frigore, ob continuatam solis absentiam: unde patet motum cæli esse necessarium ad ordinatam rerum generationem, conservationem, &c. unde sol dicitur esse vita sublunarium & etiâ ipsum cælum; quia applicat causas efficientes successivè diversis universi partibus, licet ipsum met non influat; sicque intelliges Aristotelem, dum multos cælo effectus attribuit.

iii. Suppono 3. ex diversis conjunctionibus astrorum, quas Astrologi aspectus vocant, diversimodè temperari influentias per medium, ut etiam diversos effectus in materia, alioqui eodem

modo disposita, pariant: unde etiam quædam astra suis influentiis alia juvant, quasi sint in virtute cognata; alia impediunt, quæ habent diversas agendi vires; Ratio suppositi manifesta est: si enim singula astra habeant singulas virtutes proprias, illæ se mutuo impediunt, juvant, vel temperabunt, simul concurrente; & quia multam facit ad vim actionis applicatio agentis, temperabitur etiam eorum actio pro diversitate aspectus, id est, conjunctionis illorum astrorum inter se.

RESOLUTIO I.

iv. **D**ico 1. necesse est ponere in cælis virtutes quasdam distinctas à luce & calore, est D. Thomæ 2. de Cælo cap. 7. item quodlibet 6. art. 18. est etiam S. Bonaventuræ in 2. dist. 4. q. penultimâ. Alberti Magni ibidem dist. 15. q. 1. & 2. item Tolet. lib. 2. de Generatione q. 2. concl. 4. Conimb. 2. de Cælo cap. 3. q. 3. art. 2. Rubii ibidem q. 2. contra Picum Mirand. lib. 6. contra Astrologos cap. 50. & 60. & alios, quos sequitur Pereira tom. 1. in Genesim lib. 2. Disput. adversus Astrologos cap. 3. ratione 8. ubi virtutes illas, sive qualitates occultas, immerito vocat novitum inventum & ignorantia Asylum, cum ad eas pro virtute attractiva magnetis & succini, & torpescitiva torpedinis, omnes recurrant.

v. Probatur Resolutio primò Cælum est universale primum alterans, uti clare sequitur ex productione genitorum ex putri, gemmarum, auri, &c. ergo debet virtute continere quatuor primas qualitates; alioqui non posset per se loquendo adjuvare agentia inferiora in illis producendis, sed solum in producendo calore; subsumo: atqui per lucem & calorem, per se non habet vim producendi frigus & humiditatem, ergo, &c. præter lu-

Bb 2 ccm